



**05**

**A**

**891**







IOHANNES  
IESSENIUS  
A IESSEN

ACADEMIÆ  
VVitebergensis  
Studioſis,  
S. D.



VVITEBERGÆ,  
*Excudebat Laurentius Seuberlich,*  
*Anno 1601.*



05 A 891

VITTEBERG

Erzählung von...

1601



**D**emocritus Abderites, inter Philosophos sui seculi clarissimus, civisque patriæ carus, hominum, vel potius eorundem vitiorum, tædio captus, negociosâ relictâ vitâ, in eremum profectus, locum, non longè ab urbe Abderâ distantem, totum se te ocio tradidit, atque super quibusvis hominum actibus tantùm risit. Quod cum cives sui animadvertissent, alienum à mente factum arbitrati, Hippocratem, ad Democritum, ceu insanientem, curandum, ejusmodi epistolâ accersiverunt. *Nunc maximè in periculo urbis nostræ vir versatur, ò HIPPOCRATES, qui, & presenti tempore, & futuro, semper gloria sperabatur: hic præ multâ, quæ ipsum detinet, sapientiâ agrotat, ut timor sit non vulgaris, si Democritus mente motus fuerit, patriam pessum ituram. Etenim oblitus omnium, & primùm sui ipsius, vigilans, & noctu, & interdium, & singula deridens, totam vitam transigit. Ducit aliquis uxorem, alius mercaturam exercet, alius imperat, alius legatum agit, alius concionatur, eligitur, abrogatur, agrotat, vulneratur, moritur; at hic ridet omnia. Quin & de his, quæ apud inferos sunt hic vir est sollicitus, & idolis omnia plena esse ait. Leges nostras putamus agrotare, ò HIPPOCRATES; ad sis, vir optime, curaturus virum insignem; civitatem, non virum, curabis; tota Græcia rogate, serva corpus sapientia. Quibus in hanc sententiam Hippocrates rescripsit. Lectis literis vestris, Abderitani, admiratus sum, quòd de uno homine tota civitas turbetur, non secus ac si ipsa foret unicus homo. Beati profectò sunt illi populi, qui viros probos sibi constituunt vigiles & defensores: Et non turres, non mœnia, sed virorum sapientum sapientia consilia. Ego quidem arbitror, artes gratias Deorum,*

A 2

homi

homines verò opus Natura. Democriti mentis excessum non lu-  
bens inaudiui, qui, si valet, amicus est mihi, & si agrotus, à me  
curatus, magis amicus erit. Audio illum constantem & benè mo-  
ratum esse, atq; decus vestra Reipublica. Sed Abderam post-  
quam navigasset Hippocrates, quæ acta, dictaque, inter se  
ac Democritum, Damageto, rerum suarum in absentia cus-  
ram agenti, ita scripsit: Quod suspicati sumus, illud nimirum,  
Damagete, fuit. Non enim exierat mente Democritus, sed alios  
longe hac anteibat; nosq; sapientiores effecit; atq; per nos mor-  
tales reliquos omnes. Abderam ubi appuli, maxima civium  
frequentia, quæ porta adstabat, sexus & ætatis promiscua, vulum  
mærorem præ se ferebat, Democritum existimans insanire: Qua  
me conspicata non nihil à dolore remittere visa est, & Philopamo-  
nem, apud quem diversorium constitutum, ut me domum dedu-  
ceret, adhortata. At ego, Democritum unicè videre gestiens, con-  
festim per urbis mediū, aliis præcurrētib; insequentib; aliis, &  
ó IUPITER REX, auxiliare, cura, exclamantibus, eò, ubi De-  
mocriti statio videri poterat, sum deductus. Ibi sub patulâ frōdo-  
sâq; platão, solus, crasso amictu, & pallēs, lapidi in sedebat, librū,  
egregiè ornatum, super genibus habens, & aliis quamplurimis  
circa se humi positis. Coacervaverat animalia plura, atq; illa  
dissecuerat, aliquando se inclinans cursim scribebat, nonnun-  
quam se continens, & intra se cogitans, à scribendo cessabat; pau-  
lo post, assurgens, meditabundus deambulabat, & animantium  
visceribus inspectis, suoq; loco dispositis denuò residebat. Abde-  
rite verò, qui me circumstabant, perspice, inquiunt, Democriti  
vitam, qui, ut vides, captus est mente; nam, quid velit, aut fa-  
ciat, nescit. Atq; illorum quispiam, Democriti insaniam aper-  
tius quò ostenderet, in eiulatus erupit, quo audito Democritus  
longè risit vehementiùs; Tum ego inquam, vos hic manebitis,  
Abderite, ego accedam ad virum cominùs: Qui cum me assisten-  
tem conspexisset, salutavit hospitaliter, deq; nomine, munere,  
percon-


percontatus meo est; quid item negotii haberem, num publicum,  
an privatum. Cui ego; HIPPOCRATES ille sum; utque te  
virum sapientem viderem, haec via causa fuit. Proinde expone,  
quae so, quid in praesentia scribas. Ad haec ille, de insania, inquit.  
Vbi ego, IUPITER REX, inquam, ad cives in tempore scribis.  
Sed quid de insania? Rursum ille: istud sane, quid illa sit, &  
quomodo in hominibus generetur, cureturque, cuius grati i disci-  
di, quae hic vides, animalia; non quod oderim opera Dei, sed in-  
quiro bilis naturam atque situm. Nosti enim quod bilis superabun-  
dans homines redigat ad insaniam: Et, cum bilis insit a natura  
omnibus, quo pacto compescenda copiosior, indagandum. Ad haec  
ego dicta; Per IOVEM, o DEMOCRITE, verè ac prudenter  
agis; quare te beatum iudico, qui tali fruere ocio, quo nobis non  
datur; nam agri, liberi, mutuum, morbi, necesse, servi, uxor, &  
alia eiusmodi, oportunitatem nobis auferunt: quam conditionem  
isidem meam, pro more suo, effusus est. Mihi quidem, o Da-  
magete, Deo similis vir ille visus est, cui valedicens, o Magne Dea  
mocrite, aiebam, magna munera ex tuo convivio in patriam re-  
fero, & laudum tuarum praconem me ipsum. Ad Abderitas ve-  
rò reversus, Viri, inqueiebam, Abderita, gratiam vobis habeo  
multam, pro vestra invitatione: Democritum namque vidi virum  
sapientissimum. De quibus actis postquam certior factus ef-  
set Democritus, ita ad Hippocratem perscripsit: Ut mihi,  
tanquam insipienti, elleborum dares, fidem habens hominibus  
mente carentibus, a quibus studium, non ad decus, sed ad insaniam,  
existimatur, ad nos usque te contulisti, o HIPPOCRATES.  
Cui rursus hic: Veni equidem, o Democrite, ut tanquam in-  
sanum elleboro curarem, haud qualis esses divinans, sed sapien-  
tem postmodum conspexi, & summè tuum commendavi inge-  
nium, atque optimum mundi. Naturaque, interpretem pronuncia-  
vi eos contra, qui me eò perduxerunt, ut insanos damnavi, & indi-  
gentes elleboro. Idem prorsus eadem in re, testem te consciam.

VERITAS, voco, per septennium, hinc, à vulgo hominum, citra ullam tamen commiserationem, quo certè me beatior Democritus, iudicium nonne sustinui? Nonne laboriosa & frequens opera mea anatomica, inutilis, foeda, offendiculosa, hominèq; simpliciter indigna aestimata & pronunciata est, Profectò cum decursi temporis rationes mecum repeto, mirari nunquam desino, tantum ex calumniis mihi animi & occasionis relictum, ut quicquam à me hoc in genere præstari potuerit. Et nunquam ego huic fuisset ferendo oneri, nisi me divina clementia singulariter adjuvisset, Illustrissimi Principis Proelectoris Saxoniae, FRIDERICI VVILHELMI, Ducis Incliti, protectio sublevasset, & in aula insuper, tum hac Academia, homines prudentissimi, animum meum obfirmassent. Ego meo loco, quantum per ætatem à me expectari debuit, & à medicis ingenii homine proficisci potuit, præstiti, & si non ad supremæ perfectionis, saltem fidelitatis maximæ trutinam, labores meos examinandos, cuius exhibeo. Nam scio hinc factum, ut diligentiae meae fama, ad externos delata, Academiae nomen & existimationem auxerit, mihi verò benevolentiam, quod multorum ad me missæ testantur literæ, apud doctos plurimos genuerit: Atque hinc etiam profectum, ut, cum superiori anno Pragæ versarer loco clarissimo, & urbe regiâ, ab illius celeberrimâ, antiquissimâque Academia, tum non paucorum Medicorum, & Illustrium hominum precibus ad publicam peragendam anatomem perductus sum: quam solenniter, in mille ferè hominum confessu, Deo me iuvante & habui, (cujus nunc historiam sumptibus suis excudit prudentissimus Consul & Senator Samuel Seelfisch) &, quod perpetuò lætor, unicâ ista & extemporaneâ opellâ Inclito toti regno desiderium mei ingès excitavi. Qui successus ratum mihi



mihî animi addidit, quantum iniusta criminatio antea ad-  
emit. Inprimis verò Illustrissimî Serenissimiq; Principis,  
Dn. Dn. HENRICI IULII, Postulati Episcopi Hal-  
berstadiensis, Ducis Brunsvicensis & Lunæburgensis, Do-  
mini mei Clementissimî, ante menses aliquot, propriâ in-  
dustriâ & manu ad me perscripta epistola, mirè me conso-  
lata est & crexit; cuius è cæteris hæc quædam verba sunt:  
*Quæ de laude & necessitate Anatomie scripsisti, vera sunt,  
risq; per totum assentior, ac ipsemet ego, tam pro recreatione ani-  
mi, quàm ductus exemplo Regum & Principum, non solum hæ-  
ctenus in preparandis medicamentis chymicis me exercui, &  
adhuc pergo, sed & Anatomie notitiam habere decrevi; &  
quantum hoc tempore fieri potuit, nonnullis sectionibus adfui,  
& ad imitationem ipsius Naturæ, propriis coloribus figuras de-  
pingi, summa diligentia curavi, atq; reliquas, quæ adhuc desi-  
derantur, perfici curabo, quas forsân aliquando datâ occasione  
propriis oculis, si hoc tibi libeat, videre poteris, atque cum il-  
lam basin & fundamentum medicina esse sciam, hanc, tam pro  
meo, quàm Studiosorum medicina exercitio, imposterum dili-  
genter continuabo, & quæ ad laudem & propagationem artis  
medicæ faciunt, sedulo curabo. Exuperior enim exercitium A-  
natomie, quod singulis annis, nisi quid impediât, bis in meâ  
Iuliâ celebratur, & exercitium herbationis, quibus tertium  
adiunxi, inspectionem argifodinarum & metallorum, pluri-  
mos medicina Studiosos excitasse. Sed de his, & reliquis, tem-  
pore oportuno, coràm, latiùs. Interim pro declaratione animi  
erga hanc artem, & te quoque, quem, ob virtutem & erudi-  
tionem, singulari clementiâ prosequor, hac rescribere, atque  
in signum remunerationis, poculum hoc transmittere vo-  
lui. Data ex arce meâ Groningensi, 10. Iunii, Anno 1601.*  
Atque ex hac clementissimâ, eruditissimâque, Sa-  
pientissimî Principis, cuius unius iudicium meritò mihi  
habetur

habetur instar omnium, epistolâ, facile vestrû quisq; cernit,  
quid de Anatomix studio sentiendum. Me certè, ut debuit,  
sic ad id magis inflammavit, adeò, ut constitutum mihi  
prorsus sit, quidvis potiùs pati, quàm feliciter hanc exor-  
sam telam abrumpere. Agitur nunc decimus cum nono  
annus, à quo primum operi huic, Præceptoribus ducibus,  
manum admovi, intereaq; temporis centum ferè humana  
cadavera, partim cum aliis, partim solus dissecui, ne quid  
de omnis generis animalibus, vivis, mortuisq; incisis dicã,  
ità ut si Deus vitæ meæ telam benignè extenderit, Hero-  
philû, qui quadringētos homines secuisse fertur, me supe-  
raturum sperem. Fructum exhibebit dies, qui iam, ex obtē-  
tis inde observationibus, in singulares quasdam medicinæ  
hypotheses paulatim crescit, donec experientiâ nutritus,  
maioriverò iudicio coctus, tandem maturus prodeat. Quia  
igitur, ornatissimæ expectationis juvenes, gratissima  
præter spem omnem, alia rursùm sese offert, administran-  
dæ, in suspendendo quodam, anatomix, occasio, eam, quò  
alacriores & paratiores accederetis, hæc, & maturiùs qui-  
dem, significare volui, vestro tamen arbitrio relinquens,  
an hac, non tam citò fortè rediturâ, mecum frui placeat o-  
portunitate. Sapientissimus, omnisq; boni in Naturâ  
author, Deus, divinissimum philosophiæ studium, quo u-  
nico, tanquam magistro, discuntur & sciuntur disciplinæ  
cæteræ, in hac quoque imposterum conservet Academiâ:  
Illustrissimi & Serenissimi Principis, jam jam Electoris Sa-  
xonix, CHRISTIANI II. Magni illius & Sanctissimi  
CHRISTIANI I. filii, Domini nostri Clementiss,  
gubernationem, etiam atque etiam jubeat  
auspicatam. P. P. V Vitebergæ Die  
6. Sept. Anno M. D. C. I.




05 A 891

ULB Halle

3

003 768 627



W 07






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



IOHANNES  
ESSENIUS  
A IESSEN

ACADEMIÆ  
Vitebergensis  
Studioſis,  
S. D.



VVITEBERGÆ,  
*cuſodebat Laurentius Seuberlich,*  
*Anno 1601.*